



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

10. de processione Spir. sancti passua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

est, & qui non semper Pater est, non semper genuit. Vbi autem semper Pater est, semper Filius est. Quia si semper Deo Patri proprium est quod semper est Pater, necesse est Filio semper proprium esse quod semper est Filius &c.

DE PROCESSIONE SPI-
ritu sancti quantum ad personam
quæ procedit.

DISTINCT. Decimæ
CAP. Primum.

*Spiritus sanctus procedit vt amor, a
Patre & Filio.*

Cap. 17. **S**piritus sanctus amor est, siue charitas, siue dilectio Patris & Filij. Vnde Aug. 15. lib. de Trinita. Spiritus sanctus nec Patris est solius, nec Filij est solius, sed amorum. Et ideo communem, quia inuicem se diligunt Pater & Filius, insinuat nobis charitatem. & Hierony. super 17. Psalmum ait: Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem. Idem quoque Aug. testatur lib. 6. de Trinit.

CAP. Secundum. *Charitas, quamuis sit
toti Trinitati communis, Spiritui san-
cto tamen appropriatur.*

Iohānes autem in epist. can. ait: Deus cha 2. ca. 4.
 ritas est. Non dixit, Spiritus sanctus cha-
 ritas est. Ideo querendum vtrum Pater
 fit charitas, an Filius, an Spiritus sanctus, an
 ipsa Trinitas. Ad hoc Aug. in eod. lib. ait: Si
 ergo propriè aliquis horum trium charitas
 nuncupari debet, quis aptius quàm Spiri-
 tus sanctus: vt scil. in illa summa simplici que
 natura non sit aliud substantia, & aliud cha-
 ritas, & charitas ipsa sit substantia, siue in
 Patre, siue in Filio, siue in Spiritu sancto? Et
 tamen Spiritus sanctus propriè charitas
 nuncupatur. Ecce his verbis apertè dicit
 Aug. quòd in Trinitate charitas aliquando
 refertur ad substantiam, que communis est
 trium personarum, & tota in singulis: ali-
 quando specialiter ad personam Spiritus
 sancti: Sicut sapientia Dei aliquando pro
 substantia diuina, aliquando pro Filio pro-
 priè accipitur, vt Apost. vocat Christum vir-
 tutem Dei & sapientiam. Ita Iohannes vo-
 cat Spiritum sanctum charitatem, dicens: In 1. ioh. 4.
 hoc cognoscimus quia in ipso manemus,
 & ipse in nobis, quia de suo spiritu dedit
 nobis. Spiritus sanctus itaque de quo dedit
 nobis, facit nos in ipso manere, & ipsum in
 nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse ergo
 Deus est dilectio. Ecce his verbis apertè
 dicit Aug. Spiritum sanctum esse charita-
 tem Patris & Filij, & in tantum quoque ser-

*Charitas
 nomen es-
 sentia &
 personæ vt
 Sapientia.*

monem produxit, vt videatur dixisse Spiritum sanctum non solum esse dilectionem Patris & Filij, qua se inuicem & nos diligunt, sed etiam qua nos diligimus Deum.

CAP. Tertium. *Nomen Spiritus sancti est commune & proprium.*

Hic notandum quod sicut Spiritus sanctus in Trinitate specialiter dicitur charitas, quæ est Patris & Filij vnio: ita & nunc nomen tenet propriè quod Patri & Filio communiter quodammodo congruit. Vnde Aug. 15. de Trinita. Si charitas, inquit, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabilem communionem commonstrat amborum: quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur charitas, qui Spiritus est communis ambobus? &c. Qui enim est communis ambobus, id vocatur ipse propriè quod ambo communiter.

DE PROCESSIONE SPIRITUS sancti quantum ad personas à quibus procedit.

DISTINCT. Vndecimæ

CAP. Primum.

Spiritus sanctus à Patre & Filio simul procedit.